scilicet vir, mulier, serpens. Quomodo per illa tria in nobis consummetur temptatio

Nunc superest ostendere quomodo per hec tria in nobis compleatur peccatum; unde agnosci po-
[vel attendamus vel quis]
terit, si diligenter intendatur, quid sit in anima mortale vel veniale peccatum. Ut
enim ibi serpens suasit mulieri et mulier viro, ita et in nobis sensualis motus
cum illecebra peccati concepit, quasi serpens suasit mulieri, scilicet inferiori parti rationis
vel rationi scientie; que si consenserit illecebre, mulier edit cibum vetitum. Postea de eo
dat viro, cum superiori parti rationis vel rationi sapientie eadem illecebra suggerit; que
si consenserit, tunc vir etiam cum femina cibum vetitum gustat. Si ergo in motu sen-
suali tantum illecebra peccati teneatur, veniale ac levissimum est peccatum. Si vero in-
ferior pars rationis consenserit, ita ut sola cogitationis delectatione sine volun-
tate perficiendi teneatur, mulier sola manducavit, non vir, quia auctoritate cohi-
betur voluntas ne ad opus usque perveniat. Si vero adsit plena voluntas per-
ficiendi, ut si adsit facultas ad effectum perducatur, vir quoque manducat,
quia superior pars rationis illecebre consentit, et tunc est damnabile et grave peccatum.

quando peccatum sit veniale

quando mulier sola manducat cibum vetitum

Cum autem mulier sine viro gustat, aliquando est mortale, aliquando est veniale peccatum.
Ut enim dictum est, tunc mulier sine viro gustat cum ita delectatione cogitationis
peccatum tenetur ut faciendum non decernatur, vel cum quadam timoris et mensura peccato
adhibetur a viro, ut non liceat mulieri effrenata libertate in peccatum progre-
di. Si ergo peccatum non diu sed statim ut mulierem tangit viri auctoritate repellatur,
veniale est. Si vero diu in delectatione cogitationis teneatur et si voluntas per-
ficiendi desit, mortale est, et pro eo damnabitur sicut vir et mulier, id est totus
homo; quia et tunc vir non sicut debuit mulierem cohibuit. Unde potest dici consensisse.

in gustu mulieris discerne aliquando mortale aliquando veniale

repetit quando mulier sine viro gustat vel ostendit quando veniale sit et quando mortale

quomodo mora ad se trahit peccatum

Itaque ut breviter summam perstringam, quando repetitio summa perstringens
peccatum ita in anima concipitur ut illud facere disponat vel etiam perficiat,
aliud frequenter, aliud semel, vel etiam quando delectatione cogitationis diu te-
netur, mortale est. Cum vero in sensuali motu tantum est, ut predixinus, tunc levis-
simum est, quia ratio tunc non delectatur. Quare dixit frequenter vel semel

Ideo autem supra dixi aliud frequenter, aliud semel, quia ut quibusdam placet, quedam
sunt que si tantum semel fiant vel facienda disponantur, damnant [dampnant]. Cetera vero non
nisi sepius fiant vel facienda decernantur, ut de otioso verbo et huiusmodi. Hec autem Augustinus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_336/0305
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG